

Decreto de la Signatura Apostólica de 27 de junio de 2002

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Prot. N. 29550/98 CA

ILERDEN.

Divisionis bonorum

(Exc.mus Episcopus-Congregatio pro Episcopis)

Restitutionis in integrum adversus decretum in Congressu H.S.T. die 23 Aprilis 2001 latum

In causa de qua supra,

Decreto diei 15 Iunii 1995 Congregatio pro Episcopis a dioecesi Ilerdensi seiunxit integrum territorium paroeciarum in regione autonoma Aragoniensi exstantium illudque dioecesi Barbastrensi adnexit, quae dioecesis eodem decreto Barbastrensis-Montisonensis denominata est; praefatum decretum insuper statuit: “documenta et acta praedictarum paroeciarum, clericos, fideles et bona temporalia respicientia a Curia a qua ad Curiam cui nuper sunt aggregata quam primum transmittantur”.

Ad haec omnia perficienda eadem Congregatio Exc.mum Nuntium Apostolicum in Hispania deputavit, qui die 29 Iunii 1998 inter alia decrevit: “3) Que el patrimonio artístico procedente de las parroquias desmembradas, y que se encuentra actualmente en Lleida, está a título de depósito y no de propiedad, mientras la diócesis de Lleida no pruebe lo contrario en cada caso; por lo que, de ser reclamado por sus legítimos propietarios, debe devolverse”.

Die 7 Iulii 1998 Exc.mus Episcopus Ilerdensis emendationem necnon suspensionem praefati decreti ab Exc.mo Nuntio Apostolico petiit, qui autem die 23 eiusdem mensis et anni responsum negativum dedit, eodem tamen tempore clare edicens translationem bonorum caute tuto et discrete sine pompa faciendam esse et hunc in finem novam commissionem peritorum instituit.

Verum die 7 Augusti 1998 Episcopus Ilerdensis Congregationi pro Episcopis scripsit: “... **interpongo recurso contra el Decreto del Sr. Nuncio Apostólico en España, Prot. N. 3008/98 de fecha 2[3] de julio del presente año**, recibido el día 27 del mismo mes, por el cual, si bien señala algunas normas de ejecución, no acep-

ta la única enmienda solicitada por el recurrente a su anterior Decreto, Prot. N. 2907/98, del día 29 de junio, la cual se refería solamente al nº 3 del mismo, sobre el patrimonio artístico...”. Sed decreto diei 30 Octobris 1998 Romanum Dicasterium instantiam reiecit.

Contra notificatum die 13 Novembris 1998 reiectionis decretum, Exc.mus Episcopus Ilerdensis die 21 Novembris 1998 ad H.S.T. recurrit, declarans tamen se ad consensualem controversiae solutionem paratum esse.

In Congressu die 9 Septembris 1999 habito Exc.mus Praefectus H.S.T. decrevit: “*Dilata*”. Re dein ulterius examinata, Em.mus Praefectus die 31 Martii 2001 decrevit: “Congressus, in causa de qua supra, die 9 Septembris 1999 haud conclusus, resumetur die 23 Aprilis 2001”. Qua die decretum est: **“Recursum Exc.mi ac Rev.mi Episcopi Ilerdensis admittendum non esse atque reapse non admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus, utpote manifeste quovis carentem fundamento relate ad decisionem qua Congregatio pro Episcopis die 30 Octobris 1998 instantiam reiecit adversus decretum Exc.mi Nuntii Apostolici in Hispania diei 29 Iunii 1998”**.

Die 19 Maii 2001 Cl.mus Exc.mi Recurrentis Patronus adversus hoc decretum querelam nullitatis interposuit, sed die 23 Maii 2001 ipse Exc.mus Recurrens litteras dedit, quibus declaravit: “decidimos aceptar la decisión de la Signatura Apostólica, presentando ante la opinión pública el hecho de que, con este recurso, se han agotado todas las vías jurídicas... No deseamos que se prolongue esta situación que entorpece la buena relación que debe existir en el seno de la Iglesia”. Die dein 30 Maii 2001 Cl.mus Patronus querelae nullitati renuntiavit, quae renuntiatio rite admissa est.

Mentem autem mutavit Exc.mus Recurrens, cum die 18 Decembris 2001, nova Patrona Cl.ma Martha Wegan constituta, postulavit restitutionem in integrum contra decretum die 23 Aprilis 2001 in Congressu latum.

Decreto tamen diei 19 Ianuarii 2002, Exc.mus Secretarius H.S.T. petitionem restitutionis in integrum a limine reiecit.

Quod adversus decretum Cl.ma M. Wegan die 31 Ianuarii 2002 ad Em.mum Praefectum H.S.T. recurrit. Ipsa Memoriale pro Recurrente exhibuit die 11 Martii 2002, cui respondit Cl.mus Patronus Congregationis pro Episcopis, Rev.dus Prof. Eduardus Baura, die 27 Maii 2002. Interea die 18 Maii 2002 Cl.ma Patrona Recurrentis petiit suspensionem executionis decreti diei 29 Iunii 1998.

Die 31 Maii 2002 Exc.mus Secretarius litteras direxit Exc.mo Episcopo Barbastrensi-Montisonensi, ab eo petens: “di voler cortesemente significare a Questo Supremo Tribunale se intende costituirsi nel nuovo procedimento”. Exc.mus autem Episcopus Barbastrensis-Montisonensis die 14 Iunii 2002 respondit se intervenire nolle in causa et sese iustitiae tribunalis remittere.

Exhibito die 17 Iunii 2002 a Rev.mo Carolo I. Scicluna, Promotore Iustitiae Substituto, voto pro rei veritate, Cl.mi partium Patroni responsa diebus 21 et 24 Iunii 2002 praebuerunt.

Quibus omnibus praehabitis:

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Perspecto quod:

– Exc.mus Recurrens die 18 Decembris 2001 restitutionem in integrum petiit adversus decretum in Congressu die 23 Aprilis 2001 latum “ad normam can. 1645, § 1 et § 2, nn. 1-2, cum de decreti impugnati iniustitia manifesto constaret”. Insuper addidit rationem impugnationis: “Que la constancia de hechos hasta ahora desconocidos y de inéditos documentos, todo ello referente a las piezas artísticas del Museo de la diócesis de Lleida, le obliga a defender por los legítimos medios que le ofrece el derecho, el patrimonio de la diócesis que rige y de cuya tutela, administración y conservación debe ser su primer valedor”;

– Iuxta memoriale Cl.mae Patronae “restitutio in integrum impugnat praesumptionem a decreto Exc.mi Nuntii Apostolici die 29 Iunii 1998 statutam et Decreto Congressus die 23 Aprilis 2001 confirmatam, iuxta quam opera artis in museo dioecetano Ilerdensi titulo depositi «aliove eiusmodi titulo» vel commodati, exstant, «mientras la diócesis de Lleida no pruebe lo contrario en cada caso» “Contendit enim Cl.ma Wegan quod: “Ex documentis nunc adductis patet Decretum Congressus diei 23 Aprilis 2001 relate ad hanc praesumptionem probationibus inniti quae mense Octobri 2001 a doct. Carme Berlabé Jové deprehensae sunt falsae, «ut sine illis probationibus pars decreti dispositiva non sustineatur» (can. 1645, § 2, n. 1º). Documenta recenter detecta probant facta absolute nova et contrariam decisionem seu contrariam praesumptionem exigentia, iuxta quam opera artis in museo dioecetano Ilerdensi titulo proprietatis exstant, nisi parociae separatae singulis in casibus contrarium probent”;

Considerato tamen quod:

– Occasione colloquii cum Congregatione pro Episcopis, Exc.mus Episcopus Ilerdensis die 7 Octobris 1998 “Pro Memoria” exhibuit, in quo aptius definivit obiectum recursus diei 7 Augusti 1998: “No se trata de recurso acerca de lo que se determina respecto al título, o presunción de título, que corresponde a las piezas que constituyen el patrimonio artístico depositado en el Museo Dioecetano, a saber: que están en calidad no de propiedad sino de depósito en el Museo”;

– Omnino recte proinde declaravit impugnatum decretum Congressus diei 23 Aprilis 2001: “Patet igitur quod Exc.mus Episcopus non impugnat verba Exc.mi Nuntii Apostolici haec: «Que el **patrimonio artístico** procedente de las parroquias desmembradas, y que se encuentra actualmente en Lleida, está a título de depósito y no de propiedad, mientras la diócesis de Lleida no pruebe lo contrario en cada caso», sed solummodo eiusdem conclusionem: «por lo que, de ser reclamado por sus legítimos propietarios, debe devolverse»;

– Patet proinde restitutionem in integrum nunc postulari mutato obiecto processus, quod nullo modo componi potest cum natura ipsa restitutionis in integrum,

utpote quae sese referat ad aliquid quod in rem iudicatam transierit (cf. can. 1645, § 1), dum praesenti in casu legitimitas praesumptionis nunc impugnatae transire nequaquam potuit in rem iudicatam, quia illa praesumptio intra terminos a lege statutos (cf. art. 123 Const. Ap. *Pastor bonus*) ab Exc.mo Recurrente impugnata non est;

Cum proinde prorsus deficiat praesuppositum ut praesumptio, de qua supra, coram H.S.T. impugnari possit;

Animadverso quoque quod manifesta iniustitia decreti impugnati mimine probatur, prae oculis etiam habitis verbis eiusdem decreti impugnati: “Attento quod ex contextu novissima relata verba [«por lo que, de ser reclamado por sus legítimos propietarios, debe devolverse»] respicere possunt solummodo opera artis quae titulo depositi aliove eiusmodi titulo a Dioecesi Ilerdensi retinentur, quodque Nuntius Apostolicus in casu tantum proposuit principium omnino generale, cuius ratio executionis non indiscriminatim intellegenda est, sed condicione rerum necnon concretis circumstantiis quoad singula opera singillatim consideratis”;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, coram infrascripto Cardinali Praefecto die 27 Iunii 2002 habito,

DECREVIT:

Locum in casu non esse restitutioni in integrum adversus decretum in Congressu die 23 Aprilis 2001 editum. Et amplius proponi non posse.

Pro expensis retineatur cautio ab Exc.mo Recurrente apud arcam H.S.T. deposita. Unaquaeque Pars autem suo quaeque Patrono congruum solvat honorarium.

Quod notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 Iunii 2002

Marius F. Card. Pompedda, Praefectus.
F. Daneels, o. praem., P.I. Vices Excemi. Secretarii agendi